

THEOBALDVS THAMMERVS THEOLOGVS.



Theobaldus ille anno millesimo quingentesimo quinto natus, à pueris operam literis dedit, atq; prima artium rudimenta in patria fœliciter percepit. Inde sese Vuitebergam contulit, atque in artibus & linguis adeò profecit, ut in ijs promore Academiarum Magister crearetur. Par ratione etiam Theologiae incubuit, atque eius facultatis magnam sibi notitiam, & Doctoralia insignia comparauit. Postea quoque exteras nationes uidit, & magnum retum usum acquisiuit. Itaq; Philippus Cattorum princeps eum concionibus præfecit, atq; Dei uerbum explicare iussit. Is post bellum Smalkaldicum Anno millesimo quingentesimo quadragesimo septimo tractatum scripsit, an & quatenus Christianis in persecutionibus sit fugiendum. Quædam etiam opuscula Cyrilli ex Græco Latina fecit, atque hoc modo multa doctrina ornatus etiam num inter doctos passim agnoscitur. Conrad. Lycosth.